



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio

Coloniae Vbiorvm, 1645

CAP. LI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10133

foque confictu hac illac distrahor , ac semper
in pejorem partem rapior.

C A P . L I .

HEi mihi , quam metuo rebus meis ! quam
vereor , ne demum ad pejorem partem vi-
ctoria redeat ! Vide , Domine , quoniam tribu-
lor ; surge , quare obdormis ? accelera , ut eri-
pias me , Deus salutis meæ . O diverse distra-
ctum animum meum ! hinc metus abripit , il-
linc securitas retinet ; hinc dolor excruciat ,
illinc delectatio demulcet ; corripit me timor
mortis ac terror , & simul capiunt illecebræ
voluptatum , propter quas solum mors est hor-
ribilis ac metuenda ; statuo odisse cuncta quæ
oderis , teque summum bonum super omnia
diligere , & simul sentio , tacita me cum iis a-
micitia conjungi , quibus inimicitias renun-
cio ; cruciat me vitæ nequiter actæ recordatio ,
& simul pravus usus ad eandem vitæ consuetu-
dinem attrahit . Hei mihi , quid me fiat ? quod
horreo amplector , quod fugio persequor , cu-
jus me pudet , ipsum plane delectat . si me sus-
tines , adsto ; si deseris , corruo ; si trahis , sequor ;
si linquis , redeo ; ad bonum tardus , ad ma-
lum velox invenior ; ad probitatem , repugnante ingenio , nitor , ad vitia libidinis , naturali
impetu feror : & , quemadmodum , qui ad-
verso flumine navigant , si inhibuerunt , regre-
diuntur intermisso impetu pulsusq ; remorum ;
ita etiam ego , sursum ad te nitendo , si dili-
gentiam remitto , fere præcipiti lapsu revolvor ,
quo naturalis inclinatio propellit .

C A P .